



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1658**

§. 3. Vbi erat hortus. v. 1.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45556**

§. 3. *Vbi erat hortus. v. 1.*

Aliquid singulare debuit hic hortus habuisse, vt tot hortis circum urbem regalem positus praeferretur. an forte communis? vt quisquis vellet eo uteretur, quomodo etiam putei & campi quidam communes sunt. An forte prae aliis hortis amoenus & gratior? sed non solebat Dominus sectari sensualia & carni placita, & quid in nocte poterat prodesse amoenitas horti? alia itaque causa fuerit nempe situs illius opportunus, erat enim hortus ille ad viam qua ibatur ex Bethphage in Ierusalem per portam vallis quae dicitur Gregis, quoniam in ea valle erant ovilia servandis gregibus pecorum, quae festis diebus & aliis à sacerdotibus debebant immolari in templo super montem Moria sito super crepidine efficiente ex parte urbis vallem torrentis Cedron, & sic verus ille agnus paschalis eo loco inventi voluit & capi ad immolationem sui à sacerdotibus sibi imminentem, quo loco & alij agni paschales & oves sacrificata servabantur. videri potest descriptio Ierusalem, maxime illa quae theatro urbium inserta est. vel Calcariae Clivorum Anno 1570. edita est.

**D**omine Iesu video te revera legem valde exacte implere, quia non solum substantiam eius servas, sed & caeremonias eo tempore usitatas, non erat scriptum in lege ibi deberent sacrifici agni custodiri quia tamen sacerdotes eum locum deputaverant, tu etiam te ei mori accommodasti, & nobis exemplum dedisti, vt morem non damnatum teneamus.

§. 4. *In quem introivis ipse & discipuli eius. v. 2.*

Quia hortus ille erat Paradisi locum designabat, ad pristinum omnia recurrere oportebat & cum in paradiso malorum initium factum esset, ita etiam initium omnis boni, passio scilicet Christi in horto incepit, per quam à malis liberati in pristinum habitum restituti sumus. In hortum ergo Olivarum fertur illustris illa oliva, ubi incidi & ligari inciperet, nos vero inseri illi, fierique membra unius corporis optare oportet, ut inseri unum cum eo simus, & ab eo eiusque humore, id est meritis ac influxu fecundi facti fructum vitae aeternae proferamus.

**D**ilectus meus olea est, perpetuum pacis symbolum, pace enim natus, paci natus, pacis nuntius, pacis magister, pacis author, qui fecit utraque unum: quidni ergo nunciat in montem Olivarum ostensurus non se arma, aut bellum sed pacem orbi allaturum? passione sua se homines Deo reconciliaturum. Sed veniant etiam eo discipuli eius, omnes Christiani.